

www.e-rara.ch

**Ioannes Frobenivs Lectori S.D. En Damvs C. Plinii Secvndi Divinvm Opvs
Cvi Titvlvs Historia Mvndi**

**Plinius Secundus, Gaius
Basileæ, Mense Martio, An. M.D.XXV**

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: NNN 124 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-52077>

C. Plinii Secundi Naturalis historiae, liber XXIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

se, illitum ex aqua. Folia ex aceto imposita, panos per se uel cum melle discutiunt. Item furunculos, priusquam capita faciant, omnesque acrimonias. Quin & ipsae frugum pestes in aliquo sunt usu. Infelix dictum est à Virgilio lolium. Hoc tamen molitum, ex aceto coctum, impositumque, sanat impetigines, celerius quo saepius mutatum est. Medetur & podagris, aliisque doloribus cum oxymelite. Curatio haec à ceteris differt. Aceti sextario uno dilui mellis uncias duas iustum est: ita temperatis sextariis tribus, decocta farina lolij sextariis duobus, usque ad crassitudinem, calidumque ipsum imponi dolentibus membris. Eadem farina extrahit ossa fracta. Miliaria appellatur herba quae necat milium. Haec trita, & cornu cum uino infusa, podagras iumentorum dicitur sanare. Bromos semen est spicam ferentis herbae, nascitur inter uitia segetis auenae graecae genere, & folio, & stipula triticum imitatur. In cacuminibus dependentes, paruulas uelut locustas habet. Semen utile ad cataplasmata, atque hordeum & similia. Prodest tussientibus succus. Orobanchem appellauimus necantem eruum & legumina, alij cynomorion eam appellant, à similitudine canini genitalis, cuius cauliculus est sine folijs, pinguis, rubens. Estur & per se, & in patinis, cum tenera est decocta. Et leguminibus innascuntur bestiolae uenenatae, quae manus pungunt, & periculum uitae afferunt, solifugarum generis. Aduersus has omnia eadem merentur, quae contra araneos & phalangia demonstrantur. Et frugum quidem haec sunt in usu medico. Ex hisdem fiunt & potus, zythum in Aegypto, celia & ceria in Hispania, ceruisia & plura genera in Gallia, aliisque prouincijs, quorum omnium spuma cutem foeminarum in facie nutrit. Nam quod ad potum ipsum attinet, praestat ad uini transire mentionem, atque à uite ordiri medicinas arborum.

C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTO-

RIAE LIBER XXIII.

PROOEMIUM.



Eracta cerealiū in medendo quoque natura est, omniūque quae ciborum aut florum odorumque gratia proueniunt supina tellure. Non cessit his Pomona, partesque medicas pendentibus quoque dedit, non contenta protegere, arborumque alere umbra quae diximus, imò uelut indignata plus auxiliij inesse his quae longius à caelo abessent, quaque postea coepissent. Primum enim homini cibum fuisse inde, & sic inductos caelum spectare, pascique & nunc ex se posse sine frugibus. Ergo Hercule artes in primis dedit uitibus, non contenta delicias etiam & odores atque unguenta omphacio & cenanthe ac massari (quae suis locis diximus) nobiliter instruxisse. Plurimum, inquit, homini uoluptatis ex me est. Ego succum uini, liquorem olei gigno. Ego palmas & poma, totque uarietates: neque (ut tellus) omnia per labores, aranda tauris, terenda areis, de inde saxis, ut quando quantūue opere cibi fiant. At ex me parata omnia, nec curuo adoranda aratro, nec cura laboranda, sed sese porrigentia ultro: & si pigeat attingere, etiam cadentia. Certauit ipsa secum, plusque utilitatis causa genuit etiam quam uoluptatis. Folio uitium & pampino capitis dolores, inflammationesque corporum mitigantur cum polenta. Folia per se ardores stomachi ex aqua frigida: cum farina uero hordei, articulares morbos. Pampini triti & impositi, tumorem omnem siccant. Succus eorum dysentericis infusus medetur. Lachryma uitium, quae ueluti gummi est, lepras & lichenas, & psoras, nitro ante preparatas sanat. Eadem cum oleo saepius pilis illitis, psilothri effectum habet, maximeque aqua quam uirides accensae uites exudant, qua & uerrucae tolluntur. Pampini sanguine

guinem excreantibus, & mulierum à conceptu defectioni diluti potu profunt. Cortex uitium & folia arida, uulnerum sanguinem sistunt, ipsumque uulnus conglutinant. Vitis alba uiridis tursæ succo & thure impetigines tolluntur. Cinis sarmentorum uitiumque & uina ceorum, condylomatis & sedis uitij medetur ex aceto: Item luxatis & ambustis, & lienis tumori, cum rosaceo & ruta & aceto. Item igni sacro, ex uino citra oleum aspergitur, & intertrigines & pilos absumit. Dant & bibendum cinerem sarmentorum ad lienis remedia aceto conspersum, ita ut uini cyathi in tepida aqua bibantur, utque qui biberit, in lienem iaceat. Clauicula ipsa quibus repunt uites, trita, & ex aqua pota sistunt uomitionum consuetudinem. Cinis uitium cum axungia uetere contra tumores proficit, fistulas purgat, mox & perfanat, neruorum dolores frigore ortos, contractionesque, contusas uero partes cum oleo, carnes excrecentes in ossibus cum aceto & nitro, scorpionum & canum plagas cum oleo. Corticis per se cinis combustus pilos reddit. Omphacium qua fieret ratione incipientis uuae pubertate, in unguentorum loco docuimus. Nunc ad medicinam de eo pertinentia indicabimus. Sanat ea quae in humido sunt ulcera, ut oris, tonsillarum, genitalium. Oculorum claritati plurimum confert. Scabricia genarum, ulceribusque angulorum, nubeculis, ulceribus, quacunque in parte manantibus, cicatricibus marcidis, ossibus purulente limosis. Frangitur uehementia eius melle aut passo. Prodest & dysentericis, sanguinem excreantibus, anginis. Omphacio cohaeret cenanthe, quam uites syluestres ferunt, dicta à nobis in unguenti ratione. Laudatissima in Syria, maxime circa Antiochia & Laodiceae montes: & ex alba uite refrigerat, astringit, uulneribus inspergitur, stomacho illinitur, utilis urinae, iocineri, capitis doloribus, dysentericis, coeliacis, cholericis. Contra fastidia obolo ex aceto pota. Siccat manantes capitis eruptiones, efficacissima ad uitia quae sunt in humidis. Ideoque & oris ulceribus, & uerendis ac sedi. Cum melle & croco aluum sistit. Genarum scabiem emendat, oculorumque lachrymationes. Ex uino stomachi dissolutionem. Ex aqua frigida pota sanguinis excreationes. Cinis eius ad collyria, & ad ulcera purganda, & paronychia, & pterygia probatur. Vritur in furno, donec panis percoquatur.

Massaris odoribus tantum gignitur, omniaque ea auiditas humani ingenij nobilitauit, rapere festinando.

De medicinis uuarum recentium, & sarmentis uuarum, & uinaceis, & de uua theriace, & de uua passa, & astaphide, & astaphisagria, pituitaria, & labrusca, & de uite alba, & nigra, & de mustis, & uini generibus & aceto. Cap. I

Maturefcentium autem uuae uehementiores nigrae, ideoque uinum ex his minus iucundum: suauiores albae, quoniam è translucido facilius accipitur aer. Recentes stomachum & spiritum inflant, aluumque turbant. Itaque in febris damnantur utique largiores. Grauedinem enim capiti, morbumque lethargicum faciunt. Innocentiores, quae decerpuntur diu pependere: qua uentilatione etiam utiles sunt stomacho agrisque. Nam & refrigerant leuiter, & fastidium auferunt. Quae autem in uino dulci conditae fuere, caput tentant. Proximae sunt pensilibus in palea seruatae. Nam & uinaceis seruatae, & caput & uesicam et stomachum infestant. Sistunt tamen aluum, sanguinem excreantibus utilissimae. Quae uero in musto fuere, peiorem uim etiamnum habent, quam quae in uinaceis. Sapa quoque stomacho inuitiles facit. Saluberrimas putant medici in caelesti aqua seruatas, etiam si minime iucundas, sed uoluptatem earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine iecoris fellisque uomitione in choleris, hydropicis, cum ardore febrium aegrotantibus. At in ollis seruatae, & os & stomachum & auiditatem excitant. Paulo tamen grauioribus existimantur fieri uina ceorum halitu. Uuae florem in cibus si edere gallinacei, uuas non attingunt. Sarmenta earum in quibus acini fuere, astringendi uim obtinent, efficaciora ex ollis. Nuclei acinorum eandem uim obtinent. Hi sunt qui in uino capitis dolorem faciunt. Tosti tritique stomacho utiles sunt. Inspergitur farina eorum polenta modo potionis dysentericis, & coeliacis, & dissolutis stomacho. Decocto etiam eorum fouere psoras & pruritum, utile est. Vinacei per se, minus

se, minus capiti aut uesicæ nocent quàm nuclei: Mammarū inflationi triti cum sale utiles. Decoctura eorū ueteres dysentericos & coeliacos iuuat, & potione & fotu. Vua theriace, de qua suo loco diximus, contra serpentium ictus * ualeat. Pampinos quoq; eius edendos ^{al. estur.} censent imponendosq; uinumq; & acetum ex his factum auxiliarem contra eadem uim habent. Vua passa, quam astaphida uocant, stomachum, uentrem, interanea tentaret, nisi pro remedio in ipsis acinis nuclei essent: Iis exemptis, uesicæ utilis habetur, & tussi alba utilior. Vtilis & arteriæ & renibus, sicut ex his passum, priuatim è serpentibus contra hæmorrhoida potens. Testium inflammationi cum farina cumini aut coriandri imponuntur: Item carbunculis, articularibus morbis, sine nucleis trita cum ruta: fouere ante uino ul

10 cera oportet. Sanant epinyctidas & dysenteriam cū suis nucleis: Et in oleo coctæ gangrenis illinuntur cum cortice raphani & melle. Podagris & unguium mobilibus cum panace, & per se ad purgandum os caputq; cum pipere cōmanducantur. Astaphisagria siue staphis, quam uuam taminiam aliqui uocant falso, suum enim genus habet, cauliculis nigris rectis, folijs labruscæ, fert folliculos uerius q̄ acinos, uirides, similes ciceri: in his nucleū triangulum. Maturescit cum uindemia nigrescitq; cū taminia rubentes norimus acinos: sciamusq; illam in apricis nasci, hanc non nisi in opacis. His nucleis ad purgationem uti non censuerim propter ancipitem strangulationem, nec ad pituitam oris siccandam: fauces enim lædunt. Phthiriasi caput & reliquum corpus liberant triti. Facilius admixta sandaracha: Item pruritu & psoris. Ad dentium dolores decoquuntur in aceto: Ad aurium uir

20 tia, rheumatismū cicatricum, ulcerū manantia. Flos tritus in uino cōtra serpentes bibitur. Semē enim abdicaui, propter nimiam uim ardoris. Quidā eam pituitariam uocant, & plagis serpentium utiq; illinunt. Labrusca quoq; cenanthē fert, satis dictam, quæ à Græcis ampelos agria appellatur, spissis & candicantibus folijs, geniculata, rimoso cortice, fert uuas rubentes cocci modo, quæ cutem in facie mulierum purgant, & uarijs coxendicum & lumborum uitijs tusa cū folijs & succo prosunt. Radix decocta in aqua, pota in uini Coyathis duobus, humorem alui ciet, ideo hydropicis datur. Hanc potius crediderim esse, quam uulgus uuam taminiam uocat. Utitur ea pro amuleto, & ad expiationem sanguinis quoq; adhibent, non ultra gargarizationes, & ne quid deuoretur, addito sale, thymo, aceto, mulso. Ideo & purgationibus ancipitem temperant. Est huic similis, sed in salictis

30 nascens, ideo distinguitur nomine, cum eisdem usus habeat, & salicestrum uocatur. Scabiem & pruriginem hominum & quadrupedum, aceto mulso trita hæc efficacius tollit. Vitis alba, quā Græci ampeloleucen, alij ophiostaphylon, alij melothron, alij psilothrum, alij archezostin, alij cedrostin, alij madon appellant. Huius sarmēta longis & exilibus internodijs geniculata scandunt. Folia pampinosa, ad magnitudinem edera diuiduntur ut uitium. Radix alba, grandis, raphano similis initio: ex ea caules asparagi similitudine exeunt. Hi decocti in cibo aluum & urinam ciet. Folia & caules exulcerant corpus: utiq; ulcerum phagedænis, & gangrenis, tibiærumq; tædio cum sale illinuntur. Semen in uuaris acinis dependet, succo rubente postea croci. Nouere id quī coria perficiunt, illo enim utuntur. Psoris & lepris illinitur. Lactis abundantiam facit coctum cum tritico, potumq;.

40 Radixq; numerosis utilitatibus nobilis, contra serpentium ictus trita drachmis duabus bibitur. Vicia cutis in facie, uarosq; & lentigines, & sugillata emendat, & cicatrices. Eademq; præstat decocta in oleo. * Datur & comitialibus potus: Item mente cōmotis, & uertigine ^{al. Decocti datur.} laborantibus, drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipsa autem largior aliquāto, purgat sensus. Illa uis præclara, quod ossa infracta extrahit in aqua imposita, ut bryonia: quare quidam hanc albam bryoniā uocant. Alia uero nigra efficacior in eodē usu cum melle & thure. Suppurationes incipientes discutit, ueteres maturat & purgat. Cit menses & urinam. Ecligma ex ea fit suspiriosis, & contra lateris dolores, uulsis, ruptis. Splenem ternis obolis pota xxx. diebus consumit. Illinitur eadem cum fico & pterygijs digitorum. Ex uino secundas sceminarum apposita trahit: & pituitā, drachma pota ex aqua mulsa. Suc

N cus radices

cus radicis colligi debet ante maturitatem seminis: qui illitus per se & cum eruo, latiore quodam colore & cutis teneritate, mangonizat corpora: serpentes fugat. Tūditur ipsa radix cum pingui fico, erugatq; corpus si statim bina stadia ambulentur: aliās urit, nisi frigida abluatur. Iucundius hoc idem præstat nigra uitis, quoniam alba pruritus affert. Est ergo & nigra quam proprie etiam bryoniam uocāt, aliq; chironiam, aliq; gynecanthen, aut aproniam, similem priori, præterq; colore. Huius enim colorem nigrum esse diximus, cuius asparagos similes Diocles prætulit ueris asparagis in cibo urinæ ciendæ, lienicq; minuendo. In frutetis & harundinetis maxime nascitur. Radix foris nigra, intus buxæ colore, ossa infracta efficacius extrahit q̄ supradicta. Cæterum eidem peculiare est, quod iumentorum ceruicibus unice medetur. Aiunt si quis in uilla eā extruxerit, fugere accipitres, 10 tutasq; fieri aues uillaticas. Aliter eadem in iumento homineq; flegma aut sanguinē qui scatur, talos circumligata sanat. Et hæcenus de uitū generibus. Musta differentias habent naturales has, quod sunt candida aut nigra, aut inter utrunq; alia ex alijs, ex quibus uinum fiat, alia ex quibus passum, curaq; differentias innumerabiles facit. In plenum ergo hoc dixisse conueniet. Mustum omne stomacho inutile, uenis iucundum. A balneis rapit & sine interpiratione potum, necat: Cantharidum naturæ aduersatur: Item serpentibus, maxime hæmorrhoidi & salamandræ. Capitis dolores facit, & gutturi inutile. Prodest renibus, iocineri, & interaneis uesicæ: colleuat enim ea. Priuatim contra buprestin ualet. Contra meconium, lactis coagulationem, cicutam, toxica, dorycnium, ex oleo potum, redditumq; uomitionibus. Ad omnia infirmius album, iucundius passi mustum, & quod 20 minorem capitis dolorem afferat. Vini genera differentiasq; perquam multas exposui, mus, & ferè cuiusq; proprietates. Neq; est ulla pars difficilior tractatu, aut numerosior: quippe cum sit tardum dictu, pluribus prosit an noceat: præterea q̄ ancipiti euentu potum statim auxilium sit, aut uenenum. Etenim de eius natura, quæ ad remedia tantum pertinent, nunc loquimur. Vnum de dando eo uolumen Asclepiades condidit, ab eo cognominatum: qui uero postea de uolumine illo disseruere, innumerari. Nos ista Romana grauitate, artiumq; liberalium appetentia, non ut medici, sed ut iudices salutis humanæ diligenter distinguemus. De generibus singulis disserere immensum & inexplicabile est, discordibus medicorum sententijs. Surrentinum ueteres maxime probauere. Sequens ætas Albanum aut Falernum. Deinde alia aliq; iniquissimo genere decreti, quod cuiq; gratissim 30 um cæteris omnibus pronūciando. Quin ut constarent sententiæ, quota portio tamen mortaliū ijs generibus posset uti? Iam uero nec procures usquam synceris. Eo uenere mores, ut nomina cellarum modo ueneant, statimq; in lacubus uindemiæ adulterentur. Ergo hercle, mirum dictu, innocentius iam est quodcunq; & ignobilius. Hæc tamen facere constantissime uidentur sententiæ uictoriam, quorum mentionem fecimus, si quis hoc quoq; discrimen exigat. Falernum nec in nouitate, nec in nimia uetustate corpori salubre est. Media eius ætas à quintodecimo anno incipit. Hoc non rigido potu stomacho utile, non item in calido. Et in diutina tussi sorbetur merum utiliter à ieiunis: Item in quartanis. Nullo æque uenæ excitantur. Alium sistit, corpus alit. Creditum est obscuritatem uisus facere: nec prodest neruis, aut uesicæ. Albana neruis utiliora. Stomacho minus quæ sunt 40 dulcia, uel austera. Falerna utiliora. Concoctionem minus adiuuant, stomachum modice implent. At surrentina nullo modo, nec caput tentant, stomachi & intestinorum rheumatismos cohibent. Cæcubum iam non gignitur. At quæ supersunt Setina, cibos concoqui cogunt. Virium plus Surrentino, austeritatis Albano, uehementiæ minus Falerno. Ab his Statana non longo interuallo abfuerunt. Aluo citæ Signinum maxime conducere indubitatum est. Reliqua in commune dicentur. Vino aluntur uires, sanguis colosq; hominum. Hoc quoq; distat orbis medius, & mitior plaga à circumiectis: quantum illis feritas facit roboris, tantum nobis hic succus. Lactis potus ossa alit, frugum neruos, aquæ carnes. Ideo minus ruboris est in corporibus illis, & minus roboris, contraq; labores patientiæ.

Vino

Vino modico nervi iuuantur, copiosiore læduntur, sic & oculi: Stomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, tristitiæ cura hebetatur, urina & algor expellitur, somnus conciliatur. Præterea uomitione sistit, collectiones extrâ lanis humidis impositis mitigat. Asclepiades utilitatem uini æquari uix deorum potentia posse pronūciavit. Vetus copiosiore aqua miscetur. Magis nouū, urinam expellit: minus siti resistit. Dulce minus inebriat, sed stomacho innatat. Austerum facilius concoquitur. Leuissimum est quod celerrime inueteratur. Minus infestat nervos, quod uetustate dulcescit. Stomacho minus utile est pingue, nigrum, sed corpora magis alit. Tenuē & austerum minus alit, magis stomachum nutrit. Celerius per urinam transit, tantoque magis capita tentat: hoc
 10 & in omni alio succo semel dictum sit. Vinum si sit fumo inueteratum, insaluberrimum est. Mangones ista in apothecis excogitauere. Iam & patres familiās ætatem ademerere his, quæ per se cariem traxere: Quo certe uocabulo satis consilij dedere prisca, quoniam & in materijs cariæ fumus erodit. At nos è diuerso fumi amaritudine uetustatem indui persuasum habemus. Quæ sunt admodum exalbida, hæc uetustate insalubria fiunt. Quo generosius uinū est, hoc magis uetustate crassescit, & in amaritudinem corpori minime utilem coit. Condire eo aliud minus annosum, insalubre est. Sua cuique uino salua innocentissima, sua cuique ætas gratissima, hoc est, media. Corpus augere uolētibus, aut molire aluum, conducit inter cibos bibere. Contrā minuentibus aluumque cohibentibus, sitire in edendo, postea parum bibere. Vinū ieiunos bibere nouitio inuēto, inutilissimum est.
 20 Curas uigoremque animi impedit, ad procinctū tendētibus: somno accommodatum ac securitatibus. Iamque dudum hoc fuit, quod Homerica illa Helena ante cibū ministravit. Sic quoque in prouerbiū cessit, sapientiam uino obumbrari. Vino debemus homines, quod soli animalium non sitientes bibimus. Aquæ potum interponere utilissimum: Itemque iurgi superbibere ebrietati, quam quidē frigida potus extemplo discutit. Meracis potionibus per uiginti dies ante canis ortum, totidemque postea, suadet Hesiodus uti. Merū quidem remedio est contra cicutas, coriandrum, aconita, uiscum, meconium, argentum uiuum, apes, uespas, crabrones, phalangia, serpentium scorpionumque ictus, contraque omnia quæ refrigerando nocent. Priuatim contra hæmorrhoidas, presteras, fungos. Item contra inflationes rosionesque præcordiorū, & quorum stomachus in uomitiones effunditur: & si
 30 uenter aut interanea rheumatismum sentiant. Dysentericis, sudatoribus, in longa tussi, in epiphoris, meracum. At uero cardiacis, in mamma læua merum in spongia imponi prodest. Ad omnia autem maxime albū inueterascens. Vtiliter etiam fouetur uino calido uirilitas iuuentis: quo etiam infuso cornu lassitudinem auferri aiunt. Simias quadrupedesque quibus digiti sunt, negant crescere assuetas meri potu. Nunc circa ægitudines sermo de uinis crit. Saluberrimum liberaliter genitis, Campaniæ quodcunque tenuissimum: uulgo uero, quod quencque maxime iuuerit ualidum. Vtilissimum omnibus sacco uiribus fractis. Meminerimus succum esse, qui feruendo uires è musto sibi fecerit. Misceri plura genera, omnibus inutile. Saluberrimum, cui nihil in musto additum est: meliusque, si nec uasis pix affuit. Marmore enim & gypso aut calce condita, quis non etiam ualidus expauerit?
 40 In primis igitur uinum marina aqua factum, inutile est stomacho, nervis, uesicæ. Resina condita, frigidis stomachis utilia existimantur. Nō expedire uomitionibus, sicut neque mustum, neque sapa, neque passum. Nouitium resinatū nulli conducit. Capitis dolorē & uertigines facit, ab hoc dicta crapula est. Tussientibus & in rheumatismo nominata prosunt. Item celiacis & dysentericis, mulierum mensibus. In hoc genere rubrum nigrumue magis constringit, magisque calefacit. Innocentius pice sola conditum. Sed & picem meminisse debemus, non aliud esse, quam combustæ resinæ fluxum. Hoc genus uini excalefacit, concoquit, purgat: pectori, uentri utile. Item uuluarum dolori, si sine febre sint, ueteri rheumatismo, exulcerationi, ruptis, conuulsis, uomicis, neruorum infirmitati, inflationibus, tussi, anhelationibus, luxatis, in succida lana impositū. Ad omnia hæc utilius id quod
 N 2 sponte

sponte naturæ suæ picem resipit, picatumq; appellatur. Heluennaco quoq; tamen nimio caput tentari conueniet. Quod ad febriū ualitudines attinet, certum est nō dandum in febre, nisi ueteribus ægris, uinum: nec nisi declinante morbo. In acutis uero periculis, nullis nisi qui manifestas remissiones habeāt, & has noctu potius: Dimidia enim pars periculi est, noctu: hoc est, spe somni bibentibus. Nec à partu abortiue, nec à libidine ægrotantibus, nec in capitis doloribus, nec quorum accessiones cum frigore extremitatū fiant, nec in febris tussientibus, nec in tremore neruorumq; doloribus uel fauciu, aut si uis morbi circa illa intelligatur, nec in duritia præcordiorū, uenarum uehementia, neq; in opisthotono, tetano, nec singultientibus, nec si cū febre dyspnoea sit. Minime uero oculis rigentibus, & genis stantibus, aut defectis grauibuscq;: nec quorū conuiuentiū perlucebunt oculi, neu palpebris non coeuntibus, uel si dormientibus hoc idē eueniet: aut si cruore suffunduntur oculi, uel si lemæ in oculis erunt. Minime lingua fungosa, nec graui, & subinde imperfecta loquentibus: nec si urina difficile reddetur, neq; expauescentibus repente, nec spasticis, aut rursus torpētibus: nec si per somnos genitura effundetur. Cardiacorū morbo unicam spem in uino esse, certū est. Sed id dandum quidā non nisi in accessione censent, alij in remissione. Illi ut sudorem coërceant, hi quia tutius putant, minuente se morbo, quam plurimum sententiam esse uideo. Dari utiq; non nisi in cibo debet, nec à somno, nec præcedente alio potu, hoc est, utiq; sitiētī, nec nisi in desperatione summa, & uiro facilius q̄ foeminæ, seni q̄ iuueni, iuueni q̄ puero, hyeme q̄ æstate, assuetis potius q̄ expertibus. Modus dandi pro uehementia uini. Item mixtura: Atq; uulgo satis putant unū uini cyathum duobus aquæ misceri. Si dissolutio sit stomachi, dandū: & si cibus non descendat. Inter uini genera quæ fingi docuimus, nec fieri iam arbitror. Est & superuacaneus eorum usus, cum ipsis rebus ex quibus fingitur doceamus uti. Et aliās modū excesserat medicorū in his ostentatio, ueluti ē nāpis uinū utile esse ab armorū equitandiuē lassitudine præcipientiū: atq; ut reliqua omittamus, etiam in iunipero. Et si quis satius censeat, absinthite uino utendū potius q̄ absinthio ipso. In reliquis omittatur. Et palmeū capiti noxiū, uentriq; tantū molliendo, & sanguinem excreantibus nō inutile. Fictitiū non potest uideri, quod bixon appellauimus, cū sit in eo sola pro arte festinatio. Prodest stomacho dissoluto, aut cibos nō perficienti, prægnantibus, defectis, paralyticis, tremulis, uertigini, torminibus, ischiadicis. In pestilentia quoq; ac peregrinationibus, uim magnam auxiliandi habere dicitur. Vini etiam uitū transit in remedia. Aceto summa uis est in refrigerando, nō tamē minor in discutiendo: ita sit, ut infusum terræ spumet. Dictū est sapius, diceturq;, quotiens cum alijs profit. Per se haustū fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamēta olfactu. Vim in balneis æstus arcet, si cōtineatur ore. Quin & cū aqua bibitur. Multorū stomacho utiliter garizatur. Cū eadem conualescentiū & à solis ardoribus. Oculis quoq; illo modo saluberrimum. Plurimū fotu medetur post uredines: Item lepris, furfuribus, ulceribus manantibus, canis morfibuscq; scorpionūq; ictibus, scolopendrarū, murisaranicq;. Cōtra omnium aculeatorum uenena & pruritus. Item cōtra multipedū morsum. Calidū in spongia appositum, aut adiecto sulphuris sextante, sextarijs tribus aceti, aut hyssopi fasciculo, medetur sedis uitij. In sanguinis fluxiōe post excisos calculos, & omēs alias rosiones foris in spongia impositū, intus potū cyathis binis q̄ acerrimum. Conglobatū utiq; sanguinē discutit. Contra lichenas & bibitur & imponitur. Sistit aluos, & rheumatismos interaneorū infusum. Itē procidentia sedis uuluæq;. Tussim ueterē inhibet, & gutturis rheumatismos, orthopnœam, dentiū labefactionē. Vesicæ nocet, neruorū infirmitatibus. Nesciere medici quantum cōtra aspīdas polleret. Nuper ab aspīde calcata percussus utrē aceti ferens, quoties deposuisset sentiebat ictū, aliās illæso similis. Intellectū ibi remedium est, potūq; succursum. Neq; altero os colluūt uenena exugētes. In totū domitrix uis hæc non ciborū modo est, uerū & rerū plurimarū. Saxa rūpit infusum, quæ nō ruperit ignis antecedēs. Cibus quidem & sapes nō alius magis succus cōmendat aut excitat: in quo usu mitigatur toto pane

sto pane aut uino, uel accenditur pipere ac lasere: utiq; sale cōpescitur. Non est prātereun-
dum ex eo exemplū ingens. Siquidē M. Agrippa supremis suis annis conflictatus graui
morbo pedum, cum dolorem eū perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia,
ignorante diuo Augusto (tanti putauit usu pedū sensuq; omni carere, dummodo & do-
lore illo careret) demersis in acetū calidum cruribus, in acerrimo impetu morbi euasit.

De aceto scillino, & oxymelle, & sapa, & fece uini, aceti, & sapæ. Cap. II

ACetum scillinum inueteratū magis probatur, prodestq; super ea quæ diximus ace-
scitibus cibis. Gustatum enim discutit pēnam eam, & his qui ieiuni uomunt. Cal-
lum enim faucium facit, ac stomachi, odorem oris tollit, gingiuas astringit, dentes firmat,
10 colorem meliorem præstat. Tarditatem quoq; aurium gargarizatione purgat, & transi-
tum auditus aperit. Oculorum aciem obiter exacuit. Comitibus, melancholicis, uertigi-
nosis, uuluarum strangulationibus, percussis aut præcipitatis, & ob id sanguine cōgloba-
to, neruis infirmis, renum uitijis perquā utile. Cauendum exulceratis. Oxymel antiqui
(ut Dieuches tradit) hoc modo temperabant: Mellis minas decem, aceti ueteris heminas
quinq; salis marini pondo, thymbræ quadrantem, aquæ marinæ sextarios quinq; pariter
coquebant, decies deferuescente cortina, atq; ita diffundebant inueterabātq;. Sustulit to-
tum id Asclepiades, coarguitq;. Nam etiam in febribus dabant. Profuisse tamen faten-
tur contra serpentes quos sepos uocant, & contra meconiū, ac uiscum, & anginas, calidum
gargarizatum, & auribus, & oris gutturisq; desiderijs, quæ nūc omnia oxalme cōtingunt:
20 id sale & aceto recēte efficacius est. Vīno cognata res sapa est, musto decocto donec ter-
tia pars supersit. Ex albo hoc melius. Vīsus contra cātharidas, buprestin, pinorum erucas,
quas pityocampas uocant, salamandras, & contra mordentia uenenata. Secundas par-
tusq; emortuos trahit cū bulbis potum. Fabianus autor est, uenenū esse si quis ieiunus à
balneis id bibat. Consequens horū est fex uini, sui cuiusque generis. Ergo uini feci tanta
uis est, ut descendentes in cupas enecet. Experimentum demissa præbet lucerna, quandiu
extinguatur descensionis periculū denunciās. Illota miscetur medicamētis. Cū iridis uero
pari pōdere, eruptionibus pituitæ illinitur. Et sicca uel madida cōtra phalangia, & testium
mammarumq; inflānationes, uel in quacunq; parte corporis. Item cū hordeacea farina,
& thuris polline in uino decocta crematur, & siccatur. Inde q; experimentū est legitime co-
30 ctæ, ut refrigerata linguā tactu uideatur urere. Celerrime exanimatur loco nō incluso con-
dita. Crematio ei multum uiriū adiicit. Vtilissima est ad cōpescendas lichenas furfuresq;,
cum fico decocta. Sic & lepris & ulceribus manantibus imponitur. Fungorū naturæ con-
traria est pota, sed magis cruda. Oculorū medicamentis cocta & lota miscetur. Medetur
illita & testibus & genitalibus. In uino aut aduersus strangurias bibitur. Cū expirauerit
quoq; lauandis corporibus & uestibus utilis, tūc q; usum acaciæ habet. Fex aceti pro ma-
teria acrior sit necesse est, multoq; magis exulceret. Resistit suppurationū incrementis, sto-
machum, interanea, uentrem, illita adiuuat. Sistit earū partium rheumatismos, & mulie-
rum menses. Panos discutit nōdum exulceratos, & anginas. Sacros ignes cū cera. Māmas
lactis sui impatientes eadem extinguit. Vngues scabros aufert. E serpentibus contra cera-
40 stas ualidissima cum polenta: Cum melanthio autem cōtra crocodili morsus, & canis. Et
hæc cremata ampliat uires. Tunc addito lentiscino oleo, illita una nocte ruffat capillum.
Eadem ex aqua in linteolo apposita, uuluas purgat. Sapæ fece ambusta sanantur, melius
addita lanugine harundinis. Eadē quoq; fece decocta pota q; tusses ueteres. Decoquitur
in patinis cum sale & adipe ad tumorem quoq; maxillarum & ceruicum.

De oleis, & folijs oleæ, & flore, & cinere, & de oliua alba & nigra, &
de amurca.

Cap. III

OLearum proxima autoritas intelligitur. Folia earū uehementissime astringunt, pur-
gant, sistunt. Itaq; cōmanducata imposita ulceribus medentur, & capitis doloribus
illita cum oleo. Decoctum eorum cum melle his quæ medici ufferint, gingiuarum inflam-

N 3 matio

mationibus, paronychijs, sordidisq; ulceribus excrecentibus. Cū melle profluuium sanguinis ē nervosis partibus cohibet. Succus eorum carbunculantibus, excrecentibus circa oculos ulceribus, & pustulis, procidentiq; pupillæ efficax, quapropter in collyria additur. Nam & ueteres lachrymationes sanat, & genarum erosiones. Exprimitur autē succus tussis, affuso uino & aqua cælesti. Siccatusq; in pastillos digeritur. Sistit menses in lana admotus uulvæ. Vtilis & saniem emanantibus. Item cōdylomatis, ignibus sacris, quæq; serpunt ulcera, epinyctidi. Eisdem & flos earum habet effectus. Vruntur & cauliculi florentes, ut spodij uicem cinis præstet, uinoq; infuso iterum uritur. Suppurationes & panos illinunt cinere eo, uel folijs tussis cum melle, oculos uero cum polenta. Succus fruticis recentis accensi distillans, sanat lichenas, furfures, manantia ulcera. Nam lachrymam quæ ex arbore ipsa distillat, Æthiopica maxime oleæ, mirari satis nō est. Reperti sunt qui dentium dolores illinendos censerent, uenenum esse prædicantes, atq; etiam in oleastro querendam. E radice oleæ cōtēnerrime cortex derafus, in melle crebro gustatu medetur sanguinem reiicientibus, & suppurata extussientibus. Ipsius oleæ cinis cum axungia tumores sanat, extrahitq; fistulis uitia, & ipsas sanat. Oliuæ albæ stomacho utiliores, uentri minus. Præclarum habent antequam condiantur usum, recentes per se cibi modo deuorata. Medentur enim arenosæ urinæ, item dentibus, aut attritis, aut conuulsis. Nigra oliua stomacho inutilior, uentri faciliior, capiti & oculis non conuenit. Vtraque ambustis prodest trita & illita. Sed nigra commanducatur: & protinus ex ore imposita, pustulas gigni prohibet. Colymbades sordida ulcera purgant, inutiles difficultatibus urinæ. De amurca poteramus uideri satis dixisse, Catonem secuti, sed reddenda quoq; medicinæ ratio est. Gingiuis & oris ulceribus, dentium stabilitati efficacissime subuenit. Item ignibus sacris infusa, & his quæ serpunt: Pernionibus nigrae oliuæ amurca utilior. Item infantibus fouendis. Albæ uero mulierum uulvæ in lana admouetur. Multo autem omnis amurca decocta efficacior. Coquitur in cupreo uase ad crassitudinem mellis. Vfus eius cū aceto, aut uino uetere, aut mulso, ut quæq; causa exigat in curatione, oris, dentium, aurium, ulcerum manantium, genitalium, rhagadum. Vulneribus in linteolis imponitur, luxatis in lana: ingens hic usus, utiq; inueterato medicamento. Tale enim fistulas sanat. Infunditur sedis, genitalium, uulvæ exulcerationi. Illinitur uero podagris incipientibus. Item articularibus morbis. Si uero cum omphacio recoquatur ad mellis crassitudinē, casuros dentes extrahit. Item iumentorum scabiem, cum decocto lupino & chamæleonte herba, mire sanat. Cruda amurca podagris foueri utilissimum.

De folijs oleastri, & cenanthino oleo, & cicino, & amygdalino, & laurino, & myrteo, chamæmyrsino, & cupressino, & citreo, & caryno. Cap. IIII

Oleasti foliorum eadem natura. Spodiumq; ē cauliculis uehementius inhihet rheumatismos. Sedat & inflammationes oculorum, purgat ulcera, alienata explet, excrementa leniter erodit, siccatur, & ad cicatricem perducit: cætera ut in oleis. In hoc autem peculiare, quod folia decoquuntur ex melle, danturq; cochlearibus cōtra sanguinis excretiones. Oleum tamen acius atq; efficacius: & os quoq; colluitur illo. Ad dentium infirmitatem imponuntur folia, & paronychijs, & carbūculis, & contra omnem collectionem cum uino. Iis uero quæ purganda sunt, cum melle. Miscentur oculorum medicamentis, & coctum foliorum, & succus oleastri. Vtiliter etiam auribus instillatur cum melle, uel si pus effluat. Flore oleastri condylomata illinuntur & epinyctides. Item cum farina hordeacea uenter, in rheumatismo cum oleo capitis doloribus. Cutem in capite ab ossibus recedentem, cauliculi decocti, & cum melle impositi cōprimunt. Ex oleastro maturi in cibo sumpti sistunt aluum. Tosti autem & cum melle triti, nomas repurgant, carbunculos rumpunt.

Olei naturam causasq; abunde diximus. Ad medicinam ex olei generibus hæc pertinent. Vtilissimum est omphacinum, proxime uiride. Præterea quàm maxime recens, nisi cum uetustissimum quæritur, tenue, odoratum, quodq; non mordeat, ē diuerso quàm in cibos

tribos eligitur. Omphacinum prodest gingiuis. Si contineatur in ore, colorem dentium custodit magis quam aliud: sudores cohibet. Oenanthino idem est effectus qui rosaceo. Omni autem oleo mollitur corpus, uigorem & robur accipit. Stomacho contrarium. Augget ulcerum incrementa. Fauces exasperat, & uenena omnia cohibet, hebetatque, praecipue psimmythij & gypsi in aqua mulsa, ac ficorum siccarum decocto potum contra meconium.

Ex aqua contra cantharidas, buprestin, salamandras, pityocampas: per se potum, redditumque uomitionibus, contra omnia supradicta laudatissimum. Et lassitudinum perfrictionumque refectio est, tormina calidum potum cyathis sex, magisque ruta simul decocta pellit. Item uentris animalia. Soluit aluum heminae mensura, cum uino & calida aqua potum, aut ptisanæ succo. Vulnerarijs emplastris utile. Faciem purgat. Bubus infusum per nares donec ructent, inflationem sedat. Vetus autem magis excalfacit corpora, magisque discutit sudores. Duritias magis diffundit. Lethargicis magis auxiliare, & inclinato morbo. Oculorum claritati confert aliquid, cum pari portione mellis ac opij. Capitis doloribus remedium est: Item ardoribus in febris cum aqua: & si uetusti non sit occasio, decoquitur, ut uetustatem repraesentet. Oleum cicinum bibitur ad purgationes uentris cum pari caldae mensura. Priuatim dicitur purgare praecordia. Prodest & articulorum morbis, duritijs omnibus, uuluis, auribus ambustis. Cum cinere uero muricum, sedis inflammationibus, item psoræ. Colorem cutis commendat, capillumque fertili natura euocat. Semen ex quo fit, nulla animans attingit. Ellychnia ex uua fiunt, claritatis praecipua. Ex oleo lumen obscurum propter nimiam pinguitudinem. Folia igni sacro illinuntur ex aceto. Per se autem recentia mammis & epiphoris: Eadem decocta in uino inflammationibus cum polenta & croco: per se autem triduo imposita faciem purgant. Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commedat, uaros cum melle tollit e facie. Prodest & auribus, cum rosaceo & melle & mali punici germine decoctum, uermiculosque in his necat, & grauitatem auditus discutit, sonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores & oculorum. Medetur furunculis, & a sole ustis cum cera. Ulcera manantia & furfures cum uino expurgat, condylomata cum meliloto. Per se uero capiti illitum, somnum allicit. Oleum laurinum utilius quo recentius, quoque uiridius colore. Vis eius excalfactoria, & ideo paralyticis, spasticis, ischiadicis, sugillatis, capitis doloribus, inueteratis distillationibus, auribus, in calyce punici calfactum illinitur. Similis & myrtei olei ratio, astringit, indurat, medetur gingiuis, dentium dolori, dysenteriae, uuluae exulceratae, uescis, ulceribus uetustis uel manantibus, cum squama aeris & cera. Item eruptionibus, ambustionibus. Attrita sanat & furfures, rhagadas, condylomata, articulos luxatos, odorem grauem corporis. Aduersatur cantharidi, bupresti, alijsque malis medicamentis, quae exulcerando nocent. Chamamyrsinae siue oxymyrsinae eadem natura. Cupressinum oleum eisdem effectus habet quos myrteum: Item citreum. E nucis uero iuglande quod carynum appellauimus, alopecijs utile est, & tarditati aurium infusum. Item capitis doloribus illitum. Ceterum iners & graue sapore corpori: Enimuero si quid in nucleo putridi fuerit, totus modus deperit. Ex gnidio grano factum, eandem uim habet quam cicinum. Ex lētisco factum, utilissimum acopo est. Idemque proficeret aequae ut rosaceum, ni durius paulo intelligeretur. Utuntur eo & contra nimios sudores, papulasque sudorum. Scabiem iumentorum efficacissime sanat. Balaninum oleum repurgat uaros, furunculos, lentigines, gingiuas. Cypros qualis esset, & quemadmodum ex ea fieret oleum, docuimus. Natura eius excalfacit, mollit nervos. Folia stomacho illinuntur, & uuluae concitatae succus quoque eorum apponitur. Folia recentia comanducata, ulceribus in capite manantibus. Item oris medentur collectionibus, condylomatibus. Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa ruffant capillum tusa, adiecto struthi mali succo. Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia ulcera per se, uel cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Astringit gleucinum, & refrigerat, eadem ratione qua & oenanthinum.

Balsaminum longe pretiosissimum omnium, ut in unguentis diximus, cōtra omnes serpentes efficax. Oculorum claritati plurimum confert, caliginem discutit. Item dyspnœas, collectiones omnes duritiasq; lenit. Sanguinem densari prohibet, ulcera purgat: auribus, capitis doloribus, tremulis, spasticis, ruptis perquam utile. Aduersatur aconito ex lacte potum. Febres cum horrore uenientes perunctis leuiiores facit. Vtendū tamen modice, quoniam adurit, augetq; uitia non seruatō temperamento. Malobathri quoque naturam & genera exposuimus. Vrinam cit. Oculorum epiphoris uino expressum, utilissime imponitur: Item frontibus dormire uolentibus: Efficacius si & nares illinantur: aut si ex aqua bibatur. Oris & halitus suauitatem commendat, linguæ subditum folium, sicut & uestium odorē interpositum. Hyoscyaminum emolliendo utilius, neruis inutile. Potum quidem cerebri motus facit. Therminum ē lupinis emollit, proximum rosaceo effectum habens. Narcissinum dictum est cum suo flore. Raphaninum phthiriasēs longa ualitudine contractas tollit, scabritiasq; cutis in facie emendat. Sesaminum aurium dolores sanat, & ulcera quæ serpunt, & quæ cacoëthe uocāt. Lirinon quod & phaselinum & Syrium uocauimus, renibus utilissimum est, sudoribusq; euocandis, uulua molliendæ, concoquendoq; intus. Seleucicum neruis utile esse diximus, sicut herbaceum quoq; quod Enguini circa flaminiam uiam uendunt. Elæomeli, quod in Syria ex ipsis oleis manare diximus, sapore melleo non sine nausea, aluū emollit: bilem præcipue detrahit, duobus cyathis in hemina aquæ datis: qui bibere torpescunt, excitanturq; crebro. Pugnatōres certari præsumunt ex eo cyathū unum. Pissino oleo usus est passim ad quadrupedum scabiem. Est à uitibus oleisq; proxima nobilitas palmis: Inebriat recentes, capitis dolorem afferunt minus sicca, nec quantum uidetur utiles stomacho, tussim exasperant, corpus augent. Succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant agris ad uires recreandas, sitim sedandam, in quem usum præferebant Thebaicas. Sanguinē quoq; excreantibus utiles, in cibo maxime. Illinuntur caryotæ stomacho, uesicæ, uentri, intestinis. Cum cotoneis, & cera, & croco sugillata emendant. Nuclei palmarum cremati in fictili nouo, cinere loto spodij uicem efficiunt, miscenturq; collyrijs, & calliblephara faciunt addito nardo.

De myrobalano palma, & de palma elata.

Cap. V

Palma quæ fert myrobalanum, probatissima in Ægypto, ossa non habet reliquarum modo in balanis. Aluum & menses sistit in uino austero, & uulnera conglutinat. Palma, siue elate, siue spathe, medicinæ confert germina, folia, corticem. Folia imponuntur præcordijs, stomacho, iocineri, ulceribus quæ serpunt, cicatrici repugnantia. Psoras cortex eius tener cum resina & cera sanat diebus xx. Decoquitur & ad testium uitia. Capillum denigrat suffitu, partus extrahit. Datur bibendus renum uitijs & uesicæ, & præcordiorum, & capiti & neruis inimicus. Vulua ac uentris fluxionem sistit decoctum eius. Item cinis ad tormina potus in uino albo, in uuluarum uitijs efficacissimus.

Medicinæ ex singulorum generū flore, folijs, fructu, ramis, cortice, ligno, succo, radice, cinere.

Cap. VI

Proximæ uarietates generum medicinarumq; quæ mala habent. Ex his uerna, acerba, stomacho inutilia sunt: aluum, uesicam circumagunt: neruos lædunt. Cocta meliora. Cotonea cocta suauiora. Cruda tamen dūtaxat matura, prosunt sanguinē excreantibus, ac dysentericis, cholericis, coeliacis. Nō idem possunt decocta, quoniam amittūt constringentem illam uim succi. Imponuntur & pectori in febris ardoribus, & tum decoquuntur in aqua cælesti, ad eadem quæ superscripta sunt. Ad stomachi autem dolores cruda decoctæ uel cerati modo imponuntur. Lanugo eorū carbunculos sanat, cocta in uino, & illita cum cera. Alopecijs capillum reddunt. Quæ ex his cruda in melle condiuntur, urinam mouent. Mellis autem suauitati multum adijciunt, stomachoq; id utilius faciunt. Quæ uero in melle condiuntur cocta, quidam ad stomachi uitia trita cum rosaceo folijs decoctis dant pro cibo. Succus crudorum lienibus, orthopnoicis, hydropicis prodest: Item mam-

mis, con-

mis, condylomatis, uaricibus. Flos & uiridis & siccus inflammationibus oculorum, ex-
 creationibus sanguinis, mensibus mulierum. Fit & succus ex his mitis, cum uino dulci
 tusus, utilis & coeliacis & iocineri. Decocto quoque eorum fouentur, si procidant uulua &
 interanea. Fit & oleum ex his, quod melinum uocauimus, quoties non fuerint in humi-
 dis nata. Ideo utilissima quae ex Sicilia ueniunt. Minus utilia struthia, quamuis cogna-
 ta. Radix eorum circumscripta terra manu sinistra capitur, ita ut qui facit dicat quae capi-
 at, & cuius causa: sic adalligata strumis medetur. Melimela & reliqua dulcia, stomachum
 & uentrem soluunt, siticulosa, aestuosa, sed neruos non laedunt. Orbiculata sistunt aluum,
 & uomitiones & urinas ciunt. Syluestria mala similia sunt uernis acerbis, aluumque si-
 stunt. Sanè in hunc usum immatura opus sunt. Citrea contra uenenum in uino bibun-
 tur, uel ipsa uel semen. Faciunt oris suauitatem, decocto eorum colluto, aut succo expres-
 so. Horum semen edendum praecipunt in malacia praegnantibus: ipsa uero contra in-
 firmitatem stomachi, sed non nisi ex aceto facillime manduntur. Punici mali nouem ge-
 nera nunc iterare superuacuum. Ex his dulcia, quae apyrina alio nomine appellauimus, sto-
 macho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingiuasque laedunt. Quae uero ab his sa-
 pore proxima uinosa diximus, paruū nucleum habentia, utiliora paulo intelliguntur. Al-
 uum sistunt & stomacho prosunt, duntaxat pauca, citraque satietatem. Sed haec minime
 danda: quanquam omnino nulla in febris, nec carne acinorum utili nec succo. Cauentur
 aquae uomitionibus, ac bilem reiicientibus. Vuam in his, ac ne mustum quidem, sed
 protinus uinum aperuit natura. Vtrumque uero asperiore cortice. Hic ex acerbis in magno
 usu. Vulgus coria maxime perficere illo nouit, ob id malicorium appellant medici. Vri-
 nam cieri eodem monstrant: mixtaque galla in aceto decocto, mobiles dentes stabilire.
 Expetitur in grauidarum malacia, & quoniam gustatu moueat infantem. Diuiditur ma-
 lum, caelesti aqua madescit ternis fere diebus. Haec bibitur frigida coeliacis, & sanguinem
 excreantibus. Ex acerbo fit medicamentum, quod stomatice uocatur, utilissimum oris ti-
 tibus, narium, aurium, oculorum caligini, pterygijs, genitalibus, & his quas nomas uocant,
 & quae in ulceribus excreant. Contra leporem marinū hoc modo: Acinis detracto corti-
 ce tulsis, succoque decocto ad tertias: dein cum croci, & aluminis scissi, myrrhae, mellis At-
 tici selibris. Alij hoc modo faciunt: Punica acida multa tunduntur, succus in cacabo no-
 uo coquitur mellis crassitudine, ad uirilitatis & sedis uitia, & omnia quae lycio curan-
 tur, aures purulentas, epiphoras incipientes, rubras maculas. In manibus rami punico-
 rum serpentes fugant. Cortice punici ex uino decocti & impositi, perniones sanantur. Con-
 tusum malum ex tribus heminis uini, decoctum ad heminam, tormina & tineas pellit.
 Punicum in olla noua, operculo indito, in furno tostum & contritum, potumque in uino,
 sistit aluum, discutit tormina. Primus pomi huius partus florere incipientis, cytinus uoca-
 tur à Græcis, mirae obseruationis multorum experimento. Si quis unum ex his, solutus uin-
 culo omni cinctus & calceatus, atque etiam annuli, decerpserit duobus digitis, pollice, & quar-
 to sinistrae manus, atque ita lustratis leui tactu oculis, mox in os additū deuorauerit ne de-
 te contingat, affirmatur nullam oculorum imbecillitatem passurum eo anno. Idem cyti-
 ni siccati tritique, carnes excrecentes cohibent: gingiuis & dentibus medentur: uel si mobi-
 les sint, decocto succo. Ipsa corpuscula trita, ulceribus quae serpunt putrescuntque illinun-
 tur: Item oculorum inflammationi intestinorumque: & fere ad omnia quae cortices ma-
 lorum. Aduersantur scorpionibus. Non est satis mirari curam diligentiamque priscorum,
 qui omnia scrutati, nihil intentatum reliquere. In hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam
 scilicet malum ipsum prodeat, erumpentes, quos balauustum uocari diximus. Hos quoque
 ergo experti inuenerunt scorpionibus aduersari: Sistunt potu menses foeminarum, sa-
 nant oris ulcera, tonsillas, uuam, sanguinis excreationes, uentris & stomachi solutiones,
 genitalia, ulcera quacunque in parte manantia. Siccauere etiam, ut sic quoque experirentur,
 inueneruntque tusorum farina dysentericos à morte reuocari, aluum sisti. Quin & nu-
 cleos

deos ipsos acinorum experiri non piguit. Tosti tuscis stomachum iuuant. Cibo aut portione inspersi bibuntur ex aqua caelesti, ad sistendum aluum. Radix decocta succum emittit, qui tineas necat, uictoriati pondere. Eadem discocta in aqua, quas lycium praestat utilitates. Est & syluestre punicum, à similitudine appellatum. Eius radices rubro cortice denarij pondere ex uino pota somnos faciunt. Semine poto, aquam quæ subierit cutem, siccatur. Mali punici corticis fumo culices fugantur.

De piris & eorum obseruationibus, & de ficorum obseruatione, & caprifico, & erineo, & aliorum generibus medicinae. Cap. VII

Pirorum omnium cibus etiam ualentibus onerosus, ægris quoque uini modo negatur. Decocta eadem mire salubria & grata, præcipue crustumina. Quæcunque uero cum melle decocta, stomachum adiuuant. Fiunt cataplasmata è piris, ad discutienda corporum uitia: & decocto eorum ad duritias utuntur. Ipsa aduersantur boletis atque fungis, pelluntque pondere & pugnante succo. Pirum syluestre tardissime maturescit. Conciditur, suspensumque siccatur ad sistendum aluum, quod & decoctum eius potum praestat. Decoquuntur & folia cum pomo ad eosdem usus. Pirorum ligni cinis, contra fungos etiamnum efficacius proficit. Mala piraque portatu iumentis mire grauias sunt uel pauca. Remedio autem esse, si prius edenda dentur aliqua, aut utique ostendantur. Fici succus lacteus, aceti naturam habet. Itaque coaguli modo lac contrahit. Excipitur ante maturitatem pomi, & in umbra siccatur ad aperienda ulcera, cienda menstrua, appositus cum luteo oui, aut potus cum amylo. Podagris illinitur cum farina scenigræci & aceto. Pilos quoque detrahit, palpebrarumque scabiem emendat: Item lichenas & psoras. Aluum soluit. Lactis ficulni natura aduersatur crabronum, uesparumque, & similibus uenenis, priuatim scorpionum. Idem cum axungia uerucas tollit. Folia & quæ non maturuere fici strumis illinuntur, omnibusque quæ emollienda sunt discutiendæ. Præstant hæc & per se folia: Et alij usus eorum, tanquam in fricando lichene & alopecij, & quæcunque exulcerari opus sit, & aduersus canis morsus. Ramorum teneri cauliculi cuti imponuntur: Idem cum melle ulceribus quæ ceria uocantur, illinuntur. Extrahunt infracta ossa cum papaueris folijs syluestribus. Canum rabiosorum morsus, folio trito ex aceto restringunt. Enigra ficu candidi cauliculi illinuntur furunculis, muris aranei morsibus cum cera. Cinis earum è folijs gangrenis, consumendisque quæ excreantur. Fici maturæ urinam ciunt, aluum soluant, sudorem mouent, papulasque. Ob id autem tumore insalubres, quoniam sudantia huius cibi opera corpora refrigerant: Nec stomacho utiles, sed ad breue tempus. Nec uoci contrariæ intelliguntur. Nouissimæ salubriores quam primæ. Medicatæ uero nonnunquam iuuenum uires augent. Senibus meliorem ualitudinem faciunt, minusque rugarum. Sitim sedant, calorem refrigerant. Ob id non negandæ in febribus constrictis, quas stegnas uocant. Siccae fici stomachum lædunt, gutturi & faucibus magnifice utiles. Natura his excalfaciendi. Sitim afferunt. Aluum molliunt, rheumatismis eius & stomacho contrariæ: Vesicæ semper utiles, & anhelatoribus, ac suspiriosis: Item iocinerum, renum, lienum uitij. Corpus & uires adiuuant, ob id ante athletæ hoc cibo pascebantur. Pythagoras exercitator, primus ad carnes eos transtulit. Recolligentibus se à longa ualitudine utilissimæ. Item comitialibus & hydropicis, omnibusque quæ maturanda aut discutienda sunt, imponuntur. Efficacius calce aut nitro admixto. At coctæ cum hyssopo pectus purgant, pituitam, tussim ueterem. Cum uino autem ad sedem, & tumorem maxillarum, & furunculos, panos, parotidas decoctæ illinuntur. Utile & decocto earum fouere foeminas. Decoctæ quoque eadem cum scenogræco utiles sunt pleuriticis, & peripneumoniacis. Cum ruta coctæ torminibus prosunt. Tibiarum ulceribus cum aris flore. Pterygijs cum punico malo. Ambustis, perionibus cum cera. Hydropicis coctæ in uino, & cum absinthio & farina hordeacea, nitro addito. Aluum sistunt manducata. Scorpionum ictibus cum sale tritæ illinuntur. Carbunculos extrahunt in uino coctæ & impositæ. Carcinomati, si sine ulcere est, pinguis simam ficum imponi, penè singulare

gulare remedium est: item phagedanæ. Cinis nō ex alia arbore aciem purgat acrior, con-
 glutinat, replet, astringit. Bibitur & ad discutiendum sanguinem concretum: Item percus-
 sis, præcipitatis, conuulsis, ruptis, cyathis singulis aquæ & olei. Datur tetanicis & spasticis.
 Item potus uel infusus cœliacis, dysentericis. Et si quis eo cum oleo perungatur, excalfa-
 cit. Item cum cera & rosaceo subactus, ambustis cicatricem tenuissimam obducit. Luscio-
 sos ex oleo illitus emendat, dentiumq; uitia, crebro fricatu. Produunt etiam, si quis indi-
 nata arbore, supino ore aliquem nodum eius morfu abstulerit nullo uidente, atq; in alu-
 ra illigatum licio è collo suspēderit, strumas & parotidas discuti. Cortex tritus cum oleo,
 uentris ulcera sanat. Crudæ grossi uerrucas & thymos nitro farinaq; additis tollunt, spo-
 10 dijsq; uicem exhibet fruticum à radice exeuntium cinis. Bis tostus adiecto psimmythio di-
 geritur in pastillos, ad ulcera oculorum & scabritiam. Caprificus etiamnum multo effi-
 caciore fico. Lactis minus habet: furculo quoq; eius lac coagulatur in caseum. Exceptū id
 coactumq; in duritiam, suauitatem carnibus affert. Fricatur diluto ex aceto. Miscetur ex
 ulceratorijs medicamentis. Aluum soluit, uulnam cum amylo aperit. Pota menses cit cum
 luteo oui. Podagris cum farina scenigræci illinitur. Lepras, psoras, lichenas, lentigines, ex-
 purgat. Item uenenatorum ictus, & canis morsus. Dētiū quoq; dolori hic succus appo-
 situs in lana prodest, aut in cauis eorum additus. Cauliculi & folia, admixto eruo, contra
 marinorum uenena profunt. Adijciunt & uinum. Bubulas carnes additi caules magno li-
 gni compendio percoquunt. Grossi illitæ strumas, & omnium collectionem emolliunt &
 20 discutiunt. Aliquatenus & folia. Quæ mollissima sunt ex his, cum aceto ulcera manātia &
 epinyctidas & furfures sanant. Cum melle item & folijs, ceria sanant, & canis morsus.
 Recentes cum uino, phagedanas. Cum papaueris folijs ossa extrahunt. Grossi caprifici
 inflammationes discutiunt suffitu. Resistunt & sanguini taurino potu, & psimmythio, &
 lacti coagulato potæ. Item aqua decoctæ atq; illitæ parotidas sanant. Cauliculi aut grossi
 si eius quamminutissima, ad scorpionum ictus è uino bibuntur. Lac quoque instillatur
 plagæ, & folia imponuntur. Itē aduersus murem araneū. Cauliculorum cinis uenam fau-
 cium sedat. Arboris ipsius cinis ex melle, rhagadia. Radix deferuefacta in uino, dentium
 dolores. Hyberna caprificus in aceto cocta & trita, impetigines tollit. Illinuntur ramen-
 ta rami sine cortice quamminutissima ad scobis modum. Caprifico quoque medicinae u-
 30 nius miraculum additur: Corticem eius impubescentem puer impubis, si defracto ramo
 detrahat dentibus, medullam ipsam adalligatam ante solis ortum, prohibere strumas.
 Caprificus tauros quamlibet feroces, collo eorum circumdata, in tantum mirabili natu-
 ra compescit, ut immobiles præstet. Herba quoque quam Græci erineon uocant, red-
 denda in hoc loco propter gentilitatem. Palmum alta est, cauliculis quinis ferè, ocimi si-
 militudine, flos candidus, semen nigrum, paruum: tritum cum melle Attico, oculorum epi-
 phoris medetur, duabus drachmis cum cyathis Attici quatuor. Manat lacte multo & dul-
 ci, herba perquam utilis aurium dolori, nitri exiguo addito. Folia resistunt uenenis. Pru-
 ni folia decocta tonsillis, gingiuis, uuæ, profunt in uino decocta, & subinde ore colluto.
 Ipsa pruna aluum molliūt, stomacho uero utilissima, sed breui momento. Vtiliora persi-
 40 ca, succusq; eorum, etiamnum in uino aut in aceto expressus. Nec est alius eis pomis inno-
 centior cibus. Nusquam minus odoris, succi plus, qui tamen sitim stimulet. Folia eius tri-
 ta illita, hæmorrhoidiam sistunt. Nuclei persicorū in aceto & oleo, capitis doloribus illinun-
 tur. Syluestrium quidem prunorū bacca, uel è radice cortex, in uino austero si decoquan-
 tur, ita ut triens ex hemina superfit, aluum & tormina sistūt. Satis est singulos cyathos de-
 cocti sumi. Et in ijs & satius prunis est limus arborū, quem Græci lichena appellant, rha-
 gadijs & condylomatis mire utilis. Mora in Ægypto & Cypro sui generis (ut diximus)
 largo succo abundant. Summo cortice desquamato, altiore plaga, siccantur, mirabili na-
 tura. Succus aduersatur uenenis serpētium, prodest dysentericis, discutit panos omnesq;
 collectiones: uulnera conglutinat, capitis dolores sedat, item aurium: spleneticis bibitur.
 Illinitur

Illinitur & contra perfrictiones. Celerrime teredinem sentit. Nec apud nos succo usus minor. Aduersatur aconito & araneis, in uino potus. Aluum soluit, pituitasque ac tineas & similia uentris animalia extrahit: Hoc idem præstat & cortex tritus. Folia tingunt capillum cum fici nigrae & uitis corticibus simul coctis in aqua caelesti. Pomi ipsius succus aluum soluit protinus. Ipsa poma ad præsens stomacho utilia, refrigerant, sitim faciunt: Si non superueniat alius cibus, intumescunt. Ex immaturis succus sistit aluum: ueluti animalis alicuius, in hac arbore obseruadis miraculis, quæ in natura eius diximus. Fit ex pomo panchrestos, stomatice, eadem arteriace appellata, hoc modo: Sextarii tres succi è pomo, leui uasculi ad crassitudinem mellis rediguntur. Post additur omphacii aridi pondus sextariorum duorum, aut myrrhae sextarii unius, croci unius. Sed hæc simul mixta uel trita, miscentur decocto. Neque est aliud oris, arteriae, uuae, stomachi, iucundius remedium. Fit & alio modo: Succus sextarii duo mellis Attici decoquuntur, ut supra diximus. Mira sunt præterea quæ produntur. Mora germinatione prius quam in folia exeant, sinistra decerpi iubentur. Futura poma, ricinos Græci uocant. Hi terram si non attigere, sanguinem sistunt adalligati, siue ex uulnere fluat, siue ore, siue naribus, siue hæmorrhoidis: ad hoc seruantur repositi. Idem præstare & ramus dicitur, luna plena defractus, incipiens fructum habere. Si terram non attigerit, priuatim mulieribus alligatus lacerto contra abundantiam mensium. Hoc & quocumque tempore ab ipsis decerptum ita ut terram non attingat, adalligatumque existimant præstare. Folia mori trita, aut arida decocta serpentium ictibus imponuntur. Ad idemque potu proficitur. Scorpionibus aduersatur è radice corticis succus ex uino aut posca potus. Reddenda est & antiquorum compositio: Succum expressum pomi maturi immaturiisque mixtum, coquebant in uase æreo ad mellis crassitudinem. Aliqui myrrha adiecta & cupresso præduratum uas sole torrebant, permiscetes spatha ter die. Hæc erat stomatice, quæ & uulnere ad cicatricem perducebat. Alia ratio, succum siccato exprimebant pomo, multum saporis obsoniorum conferente. In medicina uero contra nomas & pectoris pituitas, & ubicunque opus esset astringi uiscera. Dentes quoque colluebant eo. Tertiū genus succi, folijs & radice decoctis ad ambusta ex oleo illinenda. Imponunt & per se folia. Radix per messes incisa, succum dat aptissimum dentiū dolori, collectionibusque, & suppurationibus. Aluum purgat. Folia mori in urina madefacta pilum coriis detrahunt: Cerasa & aluum molliunt, stomacho utilia. Eadem siccata aluum sistunt, urinam ciunt. Inuenio apud autores, si quis matutino rosida deuoret cum suis nucleis, in tantum leuari aluum, ut pedes morbo liberentur.

Mespila, exceptis setanijs, quæ malo propiorem uim habent, reliqua astringunt stomachum, sistuntque aluum. Item sorba sicca, nam recentia stomacho & aluo citæ profunt.

De pineis & amygdalis, & nuce auellana, & de nuce iuglande, & de pistacijs & castaneis, filiquis, cornu, & unedone, & lauro. Cap. VIII

Nuces pineæ, quæ resinam habent, contusæ leuiter, additis in singulis sextarijs aquæ ad dimidium decoctæ, sanguinis excreationi medentur, ita ut cyathi bini bibantur ex eo. Cortex è pino in uino decoctus contra tormina datur. Nuclei nucis pineæ sitim sedant, & acrimoniam stomachi rosionesque, & contrarios humores consistentes ibi, & infirmitatem uirium roborant, renibus & uesicæ utiles. Fauces uidentur exasperare & tussim. Bilem pellunt poti ex aqua, aut uino aut passo, aut balanorum decocto. Miscetur his contra uehementiores stomachi rosiones cucumeris semen & succus portulacæ. Item ad uesicæ ulcera & renum, quoniam & urinam ciunt. Amygdalæ amaræ radicum decoctum cutem in facie corrigit, coloremque hilariorem facit. Nuces ipsæ somnum faciunt & auuditatem. Urinam & menses ciunt. Capitis dolori illinuntur, maximeque in febris: si ab ebrietate, ex aceto & rosaceo & aquæ sextario. Et sanguinem sistunt. Cum amylo & menta lethargicis comitialibusque profunt. Capite peruncto epinyctidas sanant, è uino ueteri ulcera putrescentia: Canum morsus cum melle. Et furfures ex facie antè fotu præparata. Item iocineris & renum dolores ex aqua potæ: Et sepe ex ecligmate cum resina terebinthina.

Calculosis

Calculosis & difficili urinæ in passo, & ad purgandam cutem in aqua mulsa trita sunt effi-
 caces. Profunt edigmate iocineri, tussi & colo cum elelisphaco modice addito. In melle su-
 mitur nucis auellanae magnitudine. Aiunt quoque quinis ferè præsumptis ebrietatem non
 sentire potores: Vulpesque si ederint eas, nec contingat è uicino aquam lambere, mori. Mi-
 nus ualent in remedijs dulces, & ea tamen purgant, & urinam ciunt. Recentes stomachum im-
 plent. Nucibus Græcis cum absinthij semine ex aceto sumptis, morbus regius sanari di-
 citur: Item illitis per se uitia sedis, & priuatim cōdylomata. Item tussi & sanguinis reiectio-
 ni prodest. Noces iuglandes Græci à capitis grauedine appellauere. Etenim arborum ipsa-
 rum foliorumque uires, in cerebrum penetrant: Hocque minore momento, sed in cibis nuclei
 faciunt. Sunt autem recentes iucundiores, siccae unguinosiores, & stomacho inutiles, diffi-
 ciles concoctu, dolorem capitis inferentes, tussientibus inimicae, & uomituris ieiunis aptae
 in tenasmo solo, trahunt enim pituitam. Eadem præsumptae uenena hebetant: Item ang-
 nam cum ruta & oleo. Item aduersantur cepis, leniuntque earum saporem. Aurium inflam-
 mationi imponuntur cum mellis exiguo. Item cum ruta mammis & luxatis. Cum cepa au-
 tem & sale & melle, canis hominisque morsui. Putamine nucis iuglandis, dens cauus inuri-
 tur. Putamen combustum tritumque in oleo aut uino, infantium capite peruncto, nutrit ca-
 pillum: & ad alopecias eo sic utuntur. Quo plures quis noces ederit, hoc facilius tineas pel-
 lit. Et quæ peruecteres sunt noces, gangrenis & carbunculis medentur: Item sugillatis. Cor-
 tex iuglandium, lichenum uitio & dysentericis prodest. Folia trita cum aceto, aurium dolo-
 ri. In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari cō-
 mentario ipsius manu compositionem antidoti, duabus nucibus siccis, item ficis totidem,
 & rutæ folijs uiginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum uene-
 num nociturum illo die. Contra rabiosi quoque canis morsus, nuclei à ieiuno homine com-
 manducati illitique præsentī remedio esse dicuntur. Noces auellanae capitis dolorem fa-
 ciunt, inflationem stomachi, & pinguedini corporis conferunt plus quam sit uerisimile. To-
 sta & distillationi medentur. Tussi quoque ueteri trita, & in aqua mulsa pota. Quidam adij-
 ciunt grana piperis, alij è passo bibunt. Pistacia eosdem usus & effectus habent, quos
 pinei nuclei, præterque ad serpentium ictus, siue edantur, siue bibantur. Castaneæ uehe-
 menter sistunt stomachi & uentris fluxiones, aluum ciunt, sanguinem excreantibus pro-
 sunt, carnes alunt. Siliquæ recentes, stomacho inutiles, aluum soluunt. Eadem siccatae si-
 stunt, stomachoque utiliores fiunt. Vrinam ciunt: Syriacas in dolore stomachi ternas in
 aqua sextarijs decoquunt quidam ad dimidium, eumque succum bibunt. Sudor uirgæ
 corni arboris lamina ferrea candente exceptus, non contingente ligno, illitaque inde ferru-
 go, incipientes lichenas sanat. Arbutus siue unedo, fructum fert difficilem concoctioni,
 & stomacho inutilem. Laurus excalfactoriam naturam habet, & folijs, & cortice, & bac-
 cis. Itaque decoctum ex his, maxime è folijs, prodesse uuluis & uescicis cōuenit. Illita uero ue-
 sparum crabronumque & apium: Item serpentium uenenis resistunt, maxime sepis, dipsa-
 dis & uiperæ. Profunt & mensibus foeminarum cum oleo cocta. Cum polenta autem quæ
 tenera sunt trita, inflammationes oculorum, cum ruta testium, cum rosaceo capitis dolo-
 res, aut cum irino. Quin & cōmanducata atque deuorata per triduum terna, liberant à tuss-
 si. Eadem profunt suspirijs trita cum melle. Cortex radicis cauendus grauidis. Ipsa radix
 calculos rumpit, iocineri prodest, tribus obolis in uino odorato pota. Folia pota uomitio-
 nes mouent. Baccae menses trahunt appositæ trita, uel pota. Tussim ueterem & orthopnce-
 am sanant binæ, detracto cortice in uino pota. Si & febris sit, ex aqua aut edigmate ex a-
 qua mulsa, aut ex passo decocta. Profunt & phthysicis eodem modo, & omnibus thora-
 cis rheumatismis. Nam & cōcoquunt pituitam, & extrahunt. Aduersus scorpiones qua-
 ternæ ex uino bibuntur. Epinyctidas ex oleo illita & lentigines. Et ulcera manantia, & ul-
 tera oris, & furfures. Cutis pruriginem succus baccarum emēdat, & phthiriasin. Auriū do-
 lori & grauitati instillatur cum uino uetere & rosaceo. Perunctos eo fugiūt uenenata omnia.

○ Prodest

Prodest & contra uenenatorum ictus potus, maxime autem eius laurus, quæ tenuiora habet folia. Bacca cum uino serpentibus, & scorpionibus, & araneis resistunt. Ex oleo & aceto illinuntur & leni & iocineri. Gangrenis cum melle. Et in fatigatiōe etiam aut perfrictione succo eo perungi, nitro adiecto prodest. Sunt qui celeritati partus multum conferre putent, radice acetabuli mensura pota in aqua: efficacius recentem quàm aridam. Quidam aduersus scorpionum ictus, decem baccas dari iubent potui. Item & in remedio uulue iactis, quadrantem pondo baccarum foliorumue decoqui in aqua sextarijs tribus ad tertias, eamq; calidam gargarizare: Et in capitis dolore, impari numero baccas cum oleo contere, & calefacere. Laurus delphicæ folia trita olfactaq; subinde pestilentia contagia prohibent, tanto magis si & urantur. Oleum ex Delphica ad cerata acopumq; ad perfrictiones discutiendas, neruos laxandos, lateris dolores, febresq; frigidas utile est. Item ad aurium dolorem, in mali punici cortice tepesactum. Folia decocta ad tertias partes aqua, uulnam cohibent gargarizatione: pota alui dolores, intestinorumq;. Tenerrima ex his trita in uino, papulas pruritusq;, illita noctibus. Proxime ualent cætera lauri genera. Laurus Alexandrina siue Idæa, partus celeres facit, radice pota trium denariorum pondere, in uini dulcis cyathis tribus. Secundas etiam pellit, mensesq; eodem modo pota. Daphnoides (siue his nominibus quæ diximus) syluestris laurus prodest, aluum soluit, recenti folio uel arido drachmis tribus cum sale & hydromelite manducata. Pituitas extrahit folium & uomitus, stomacho inutile. Sic & bacca quinæ denarij, purgationis causa sumuntur.

De myrto satia, & myrtidano, & de myrto syluestri.

Cap.

IX

MYrtus satia candida, minus utilis est medicina quàm nigra. Semen eius medetur sanguinem excreantibus. Item contra fungos in uino potum. Odorem oris comendat uel pridie commanducatum. Item apud Menandrum synaristum in hoc edunt. Datur & dysentericis denarij pondere in uino. Ulcera difficilia in extremitatibus corporis sanat, cum uino subferuefactum. Imponitur lippitudini cum polenta, & cardiacis in mamma sinistra: Et contra scorpionis ictus in mero, & ad uescicæ uitia, capitis dolores, & agilopas antequam suppurent: Item tumoribus, exemptisq; nucleis in uino uetere tritum eruptionibus pituitæ. Succus seminis aluum sistit, urinas cit. Ad eruptiones pustularum pituitaq; cum cerato illinitur: & contra phalangia. Capillum denigrat. Lenius succo oleum est ex eadem myrto, & uinum quo nunquam inebriatur. Inueteratumq; sistit aluum & stomachum, tormina sanat, fastidium abigit. Foliorum arentium farina sudores cohibet inspersa, uel in febris. Vtilis & coeliacis & procidentia uuluarum, sedis uitijs, ulceribus manantibus, igni sacro fotu, capillis fluentibus, furfuribus: Itē alijs eruptionibus, ambustis. Additur quoq; in medicamento quod liparas uocant, eadem de causa qua oleum ex his, efficacissimū ad ea quæ in humore sunt, tanquam in ore & uulua. Folia ipsa fungis aduersantur trita ex uino, cum cera uero articularibus morbis & collectionibus. Eadem in uino decocta dysentericis & hydropicis potui dantur. Siccantur in farinam quæ inspergitur ulceribus, aut hæmorrhoidæ. Purgant & lentigines, pterygia & paronychia & epinyctidas, condylomata, testes, tetra ulcera: Item ambusta cum cerato. Ad aures purulentas & folijs crematis utuntur & succo decocto. Comburentur & in antidota: Item cauliculi flore decerpti, in nouo fistili operto cremati in furno, dein triti ex uino. Et ambustis foliorum cinis medetur. Inguene intumescat ex ulcere, satis est furculum tantum myrti habere secum, non ferro nec terra contactum. Myrtidano diximus quomodo fieret: Vulua prodest appositum fotu, & illitu. Multo efficacius & cortice & folio & semine. Exprimitur & folijs succus mollissimis in pila tuis, affuso paulatim uino austero. Alias aqua cælesti, atq; etiam expressio utuntur ad oris sedisq; ulcera, uulua et uentris: Capillorum nigritiam, malarum perfusiones, purgationes lentiginum, et ubi constringendum aliquid est. Myrtus syluestris, siue oxymyrine, siue chamæmyrsine, baccis rubetibus & breuitate à satia distat. Radix eius in honore est, decocta uino, ad renum dolores pota, et difficili urinæ, præcipueq; crassa et grauius olenti: Mor

ti: Morbo regio, & uuluarum purgationi trita cum uino. Cauliculi quoque incipientes asparagorum modo in cibo sumpti, & in cinere cocti. Semen cum uino potum, aut oleo aut aceto, calculos frangit. Item in aceto & rosaceo tritum, capitis dolores sedat: & potum, morbum regium. Castor oxymyrinen myrti folijs acutis, ex qua fiunt rursus scopæ, ruscum uocauit, ad eisdem usus. Et hactenus habent se medicinae urbanarum arborum, Transseamus ad syluestres.

C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTORIAE LIBER XXIII.
PROOEMIUM.

Medicinae ex arboribus syluestribus.

Cap. I



NE syluæ quidem, horridiorque naturæ facies, medicinis carent, sacra illa parente rerum omnium, nusquam non remedia disponente homini, ut medicina fieret etiam solitudo ipsa, sed ad singula illius discordiæ atque concordiæ miraculis occurrentibus. Quercus & olea tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe de pactæ moriantur. Quercus uero & iuxta nucem iuglandem. Pernicialia & brassicæ cum uite odia: ipsumque olus, quo uitis fugatur, aduersum cyclamino & origano arescit. Quin & annosas iam, & quæ sternantur arbores, difficilius cædi, ac celerius inarescere tradunt, si prius manu quam ferro attingantur. Pomorum onera à iumentis statim sentiri: ac nisi prius ostendatur his, quamuis pauca portent, sudare ilico. Ferulæ asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris uero iumentis præsentaneo ueneno: qua de causa id animal Libero patri assignat, cui & ferula. Surdis etiam rerum sua cuique sunt uenena, ac minimis quoque. Philyra coci & polline nimirum salem cibus eximunt. Prædulcium fastidium sal temperat. Nitrosæ aut amaræ aquæ, polenta addita mitigantur, ut intra duas horas bibi possint: Qua de causa & in saccos uinarios additur polenta. Similis uis Rhodiæ cretæ, & argillæ nostratis concordia ualentium. Pix oleo extrahitur, quando utrumque pinguis naturæ est. Oleum solum calci miscetur, quando utrumque aquas odit. Gummi aceto facilius eluitur, atramentum aqua. Innumera præterea alia, quæ suis locis dicuntur assidue. Hinc nata medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia parata uulgo, inuentu facilia, ac sine impendio ex quibus uiuimus. Postea fraudes hominum & ingeniorum, capturarum officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini uenalis promittitur uita. Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur, Arabia atque India in medio aestimantur, ulcerique paruo medicina à rubro mari ^{al. importatur.} imputatur, cum remedia uera quotidie pauperrimus quisque cœnet. Nam si ex horto aut petatur herba, uel frutex quærat, nulla artium uilior fiet. Ita est profecto, magnitudo populi Romani perdidit ritus, uincendoque uicti sumus. Paremus externis, & una artium imperatoribus quoque imperat. Verum de his aliàs plura.

Lotos.

Cap. II

LOton herbam, itemque Ægyptiam eodem nomine, aliàs & Syrticam arborē, diximus suis locis. Hæc lotos, quæ faba Græca appellatur à nostris, aluum baccis sistit. Ramenta ligni decocta in uino prosunt dysentericis, menstruis, uertigini, comitialibus. Cohibent & capillum. Mirum, his ramentis nihil esse amarius, fructuque dulcius. Fit & ex scobe eius medicamentum, ex aqua myrti decocta, subacta, & diuisa in pastillos, dysentericis utilissimum, pondere uictoriati cum aquæ cyathis tribus.

Glans.

Cap. III

GLans intrita duritias quas cacoëthes uocant, cum salsa axungia sanat, uehementior & resque lichenas in omnibus cortex ipse, corticisque tunica subiecta. Hæc decocta iuuat cœliacos.